A 24 89

# SCHEDIASMATA

## Libero-Philosophica.

Quorum *A. P. D. O. M.* Solennis instituetur ζήτησις, in publico Philosophantium Consessu Academiæ *Andreapolitanæ*; Anno Æræ Christi 1668. *Julii* horis & loco solitis.

Propugnantibus Alumnis ex Inclyto S. Sal..dor.is Athenæo, cum Triumphali Laureæ Materialis Corollâ hâc vice emittendis.

---

*ROBERTO HAMILTONO.*

---

*Amici nobis sunto* Plato, Aristot: Cartesius: *sed magis amica Veritas: Majoris enim unam veritatem facio quam millenas authoritates.* Schul.

*Miror Antiquos non tamen hujus saculi ingenia despicio.* Plin.

*Omnes omnia, nullus vero omnia.* Full.

*Nulli me mancipavi, nullius addictus jurare in verba Magistri.*

*Quid verum atque decus, curem, & rogem, & omnis in hoc sim.* Regia Gresshamiæ Societas.

*Legant prius, & postea despiciant; ne videantur non ex judicio, sed ex odii præsumptione ignorata damnare.* Hieron. in Prolog Isai.

*IN MAGNIS VOLUISSE SAT EST.*

*HONOS ALIT ARTES.*

---

*EDINBURGI,*
Excudebat ANDREAS ANDERSON, Civitatis & Academiæ *Edinensis* Typographus. *Anno* DOM. 1668.

EX BIBL. EDINBURGEN.

# GENIO & CELSITUDINI

Auguſtiſs: ac Præpotentis HEROIS,
Illuſtriſs: & Magnificentiſs: *Dynaſtæ*;

## D: Ioannis Lauderdaliæ Comitis,

Reguli *Metellani*, Baronis de *Thirlſton*,
*Lidington*, *Brunſton*, &c.

Invictiſſimi *Britanniarum &c.* MONARCHÆ,
in Negotiis SCOTICIS Primicerii fidiſſimi;

Eidemque Sereniſs: REGI Secretioris Conſilii, in utroque Regno Senatoris Prudentiſs: ab intimis & Sanctioribus, Conſiliarii Sagaciſs: *Conſilio & Animis*, Conſultiſs.

In ſempiternum Academiæ *Andreapolitanæ* Decus, Ejus Alumni Meritiſs: Colendiſs: Muſarum Fautoris Propenſiſs: Mæcenatis ſui Æternùm Suſpiciendi.

Illuſtriſſime Mecænas,

*Permittere digneris ut Spicilegia hac Libero-Philoſophica raptiſſimè congeſta, nullis lemniſcatis, Corinthiis aut Ionicis polita verbis, Te venerentur, ac ſalutent. Maxime minutulum ac levidenſe munuſculum, certiſſimè apporto; Animi tamen gratiſſimi (donec Phocentium ignitus lapis in mari manſerit) Tuique obſervantiſſimi* Τεκμήριον ἀσφαλεστατον, *Deditiſſimi affectus indubitatam teſſeram, ne fœda* ἀχαριστίας *macula nobis inureretur, votiva hâc tabellâ primitiarum laborum noſtrorum hoſtiâ, beneficiorum Tuorum erga nos memoriam teſtamur: illa enim (Clementiſs: Heros) clementiâ me ante annum es proſecutus, ut indelebilis*

*bilis ejus character animo nostro futurus sit infixus, quamdiu tenellos nostros artus spiritus adhuc reget, in aulam quippe vestram evocatum perhumaniter, hilarique vultu excepisti, sapientissimo discursu exhilarasti, clementissimum favorem ore obsignasti, meque ad studia promissis incitâsti, consiliis calcar addidisti, ut tot gratias celsitudini vestræ debeam.*

Quot Oceani latitant sub gurgite pisces,
Quot volucres agitant celeres per nubila pennas,
Quot nutrit vaga terra feras, quot sydera cœlo
Cernuntur, nitidam circumrutilantia Lunam.

*Nulla tumultuantis ævi vires Nomen vestrum (cui in æternum sum devinctus (in oblivionis chao, apud me delitescere facient: Sed quamcunque sortem divina indulserit mihi munificentia, sive intra* Britannici *Orbis pomœria me concluserit, sive licebit aura liberiore frui, semper apud me vigebit Tui memoria; quod si aliter contingat,*

Crediderim gelidos in fontes posse relabi
Flumina, Phœbæas & remeare rotas:
Imaque supremo misceri Tartara Cœlo,
Inque polo Stygii sceptra tenere Jovem.

*Alia item nos cogit ratio, ut Herculeum planè Patrocinium, magnanimi alicujus ac peritissimi Herois sciscitemur, cujus Nomine Molimina hæc à calcato vulgi tramite paululum devia, tanquam* Ajacis *septemplici clypeo protecta lucem securè postulent: Novimus enim non defuturos Zoilos & Obtrectatores, quibus solennè & palmarium est præceptum Masonicis dicteriis ultra hyperbolen, στηνιῶσαι, grandique supercilio aliena contemnere, ut alieni nominis jacturâ gradum faciant ad gloriam; Nos itaq; Philosophiæ minoritæ ex umbratili palestra, in aciem Martis Philosophici, prodituri; ad Amplitudinem Tuam tanquam tutissimum Asylum confugimus, ad Tua genua, tanquam misericordiæ Aram, supplices procidimus, Tuoq; Nomini ceu Tutelari Numini, Decermina hæc nuncupamus; quæ, si erugata fronte lustrabis, lucisq; Tuæ Zeyphyro perfundas, non verebuntur vel hoc solo triumphare nomine, ac irrisorum sannas retundere, quod Nutu Tuo concepta, favore nutrita prodeant in lucem, Tuoq; vegeto ut Bellerophontis nostri alis velata, conquiescent secura: Te enim,* Clariss. Mecænas, *raris naturæ rosis redimitum, Regiis Heroum aulæis ornatum, amænis virtutum gemmis, Te virtutis Archetypum insignitum, flavis fortunæ floribus fænoratum, non sine stupore miramur. O splendida* Metellanorum *Familia! in quâ pietas erga Deum, & perpetua fidelitas erga Regem sua fixere Domicilia, in Te floruere Viri bello & pace clarissimi, ob spectatam fidem & eximiam*

*eximiam prudentiam, in turbidis temporibus, cunctis applaudentibus ad rerum gubernacula admoti: in Avorum & Proavorum excelso honoris Olympo, Coruscus Tu fulges, Tu Parentis Tui venerandæ memoriæ, viva Effigies, Tu* Metellanorum *lucidissimus Phœbus ac præfulgidum Jubar, Tu* Scotigenum *illud* Carolini *Orbis Lumen, sub quo floreant Musarum querceta fulgentissima; Tu Musarum, Charitumq; Decus; in Te, tanquam in Pandoræ quadam Pyxide, Dii Thesauros Gazasq; suas reposuere: Te, præ cæteris, ad senescentis mundi tædium sublevandum propitia, reservarunt fata; ut, quæ divisim singulis æternum Fidelitatis erga Regem, suum erigerent, Trophæum conjunctis in Te viribus conspirent, ut cum Poetâ loquar,*

——— Quæ faciunt divisa beatum,
In te mixta fluunt. ———

*Præclaras tuas Dotes non severis institutorum monitis impresseras,* O Præsidium & dulce Decus meum; *sed à longâ Majorum Prosapiâ, veluti cum lacte materno hauseras, Tibi in cunis admôrunt ubera Musæ, Tibi aurea est mens omnium Linguarum gnara, quid dicam?*

Arcanorum Hermes quicquid ter maximus orbi
Quicquid Plato libris, Pythagorasque dedit,
En totum natura hominem conclusit in unum,
Una hæc ἀθανατου pectoris arca tenet.

*Ubi nunc suavissime modulantes Philomelæ, ubi tonantia eloquij fulmina, quæ talem celebrabunt virum cogor erumpere——— Pocula Cyrrhæ.*

Larga Caledonis late exundasse per agros.
Non tibi digna tua reddentur carmina laude:
Te genuit Phœbus, magnus intrivit Apollo,
Lactavitque suo sacra Minerva sinu,
Grande Caledonii decus orbis & incltya fama.

*(Generose Heros) Tu unicus ad* Pegasi *cacumina natus es, gelida sub arcto jam effusit Phœbea lampas, tu inter Myricas humiles Cypressus, velit inter stellas luna minores: Tu sydus è Cœlo in terras dimissum ut sæculo everso succederes rebusque afflictis mederi possis, ad instar auri igne septies purgati, ex ergastulo prodiisti, redivivo* CAROLO Secundo *Invictiss. tanquam Sole cum lucis fœnore dispersis nebulis in horizontem revertente: Non Te luxuriantis fortunæ cæcus amor, ast ingentia tua merita ad tantæ dignitatis nunc apicem evexere, dum enim partium studia fervebant in hoc Regno, discordiarum faces huc illuc volitabant, & id genus alia civilium motuum incommoda urgebant affatim; nil unquam te indignum & crimine notatum gesseras: tibi à Rege demandata mirando sapientiæ justitiæque tenore administras,*

*ſtras, nocentiſſima vixarum incendia, ratione, non vi, compeſcis; concreditam Tibi navem inter tot fluctus & Symphlegadas, quibus res noſtra jactantur, in publica ſalutis portum, univerſo populi plauſu, clamoſo fama rumore dirigis, geſta Tua linenda ſunt cedro & levi ſervanda cupreſſo, per Te eſt quod contentionum murmura ſileant, turbarumque impetus detumeſcant, nec laſſatur tibi animus multijuga licet rerum gerendarum vertigine, ac perenni agitatione implicitus.* Sed quorſum hæc! *An ut ego reptabundus Orator, cui titubat lingua, labra torpent, eloquium deficit, penecillo graphicè effigiare cogitarem, laudum Tuarum immenſitatem? Minime gentium; etenim ſi hanc valerem depingere, optimi erubeſcerent, perditi odio haberent, mortalium fidem longe excederem, & in modeſtiam veſtram peccarem: Silentii proinde velo obumbrabo, neſque ad omne obſequium mancipati D. O. M. Anxiis ſeriiſque ſuſpiriis, comprecabimur, ut Te Celeberrimum noſtrum Mecanatem, omnium virtutum Panoplia, magis magiſque adornet, atque Te certum, ſed ſerum triſaclis Homericis, & Neſtoriis annis, honoribuſque plenum, in Cœlum evehat cœleſtis & Jovis Armiger Ales. Ut humiles haſce & Helicone procul haderas, æqui bonique conſulas, animitùs obteſtamur, æternæ veſtræ dignitatis mirabundi, ac humillimi cultores.*

Omni titulo Devotiſſimus tuus Cliens,

*Robertus Hamiltonus.*

Ac Veſtri Honoris obſervantiſſimi,

*Alexander Guthrie*
*Alexander Milne*
*Alexander Orroke*
*Alexander Ramſay*
*Andreas Burne*
*Andreas Moncriefe*
*Arthurus Shepherd*
*David Barklay*
*David Drummond*
*Georgius Auchmutie*
*Georgius Campbell*
*Georgius Jonkine*
*Georgius Landail*
*Georgius Monypennay*
*Gulielmus Ireland*
*Jacobus Barklay*
*Jacobus Monipennay*
*Jacobus Ret*
*Ioannes Meek*
*Ioannes Moncriefe*
*Thomas Marſhall*
*Thomas Ramſay*

# Diatribæ Progymnaſticæ.

## SPICILEGIUM I.

Lapſigonia vitiati Matæotechnici & μεγαλοφυεις Jeſuitæ totam ſuam ætiologiam in fidem logomachicam tranſmutarunt, ac inter anguſtiores unius Sectæ fimbrias, canonicæ obedientiæ fratres concluſerunt: copiam (& merito) aſſeclis ſuis denegantes *Ardeliones* iſti, latum unguem ab eorum placitis (licet inſipidis) abſque atro calculo carboniſve nota recedendi, aut ex aliorum viridariis floſculos carpendi ne vel optimos, ut eorum odorem naribus olfacerent, ſaporemve linguâ etiamnum liguriente deguſtarent: Nos verò imberbes tametſi Minervæ Milites (redeunte ejus principatu, aureo hoc ævo) Sapientiæ ſacris aliquantulum initiati, hypermetaphyſica blateronum horum Empyreumate ſævientium gloriæque pruritu inſitorum Technelogemata, faſtidio renunciantes, ex limpidiſſimis Reconditioris Literaturæ fonticellis caballinis, caſtalios decrevimus inſtillare latices. Philoſophiam omniumque Scientiarum encyclopediam, *Adamo* πρωτοπλαστῳ, tanquam primo inhæſionis ſubjecto, in ſtatu perfectionis cœlitus eſſe infuſam non proprio marte acquiſitam, communis fert opinio, hujuſque thyridion (logicam intelligo) ab eodem poſteris eſſe recluſum, ejuſque antis antipagmenta appinxiſſe *Druides* & σοφοι, quæ tanquam lemmata Pharmacopolarum capſulis affixa, expeditius ad ipſa intelligibilium omnium vaſa determinanda ducerent: Verùm ignoſcant hi viri ſummi, omnem etenim ſuam ſcientiam frequenti actuum repetitione & reiteratâ radiorum impreſſione; non quidem gradu iſto temporis teſtudineo quo poſteros doeuerat, acquiſivit *Adamus*: idemque tantum ei inerat fundamentum ſemenque quo ex cultu in interiores naturæ receſſus pervenit, quod & nobis ineſt. *Adamo* item huic à puriſſimâ luce collapſo, tanquam humani generis Syndico, impreſſa eſt Logica, ſeu ratio ipſa non tanquam perfectio, (cùm hæc cognitioni

tioni perfectiori Dei ſcilicet non competat) ſed tanquam ſtigma à torture in calamitatum memoriam, cujus ope *Adami* Scientia poſt lapſum potius diminuta eſt quam aucta, (pace *Ioan. Stearn.* in Diſſ. de bea. & miſ.) illa enim tanquam placida adulatrix & callida ſeductrix tot hominum Myriades hodiè mendicato veritatis pallio vafrè ſefellerit, ut ſi quis συζήτησιν de ea inſtituerit, in quam gordios nodos Sphinx hæc transformetur! Vituperoſa ergo eſt famigerata illa ac tenebrionibus tantum modo nata definitio, ut *Vanhel.* Art. 35. de ven. Sci. quâ homo animal rationale velut ex eſſentiæ deſcriptione depingitur, quaſi viator per ignem fatuum definiretur: Ineptè itaque hariolatur *Hobbeſ.* p. 20. de Cive, rationem identificari cum ipſa natura humana, tanquam per hanc ſolam à brutis diſtingueremur, cumque Angelis ſymbolizaremus. Quæ tamen brutis competit, ut *Chamber. Teles. Campa. Maig.* imo ſerpentem noſtræ cladis authorem *Adamo* prius uſum fuiſſe ratione ſacra fert pagella: rectius definitur homo, cum *Vanhel.* art. 36. de Ven. Sci. quod ſit *Creatura vivens in corpore, per animam immortalem, Numen habens.* Inaudita item verborum barbariè litigant nonnulli, num eaſdem de primigenia luce micantes ſcintillulas quarum ope adveniunt Scientiæ, utriq; generis humani ſexui tàm fœminæ quàm mari indulſerit natura: Statuimus cum *Cart.* nullius hominis facultatem cognoſcendi latius patere quam alterius, & certum eſt ex ſacris Literis fœminam in actum diſcurſivum viro prius erupiſſe, imò vividiſſimum ac ſœliciſſimum ingenium ad abdita naturæ penetralia perluſtranda, hodiè experientia, olim antiquitas, plurimis conceſſum eſſe, memorat; quod ſub *Corn. Agrippa*, aliorumque auſpiciis uberrimo cum fructu excoluere, quæ vero in noſtris ſcintillæ ignem ſuum non ita explicant, quia levi doctrinæ flatu non ſuſcitantur.

II.

LAbyrinthæas conduplicant rixas hiſpidas, leberide nudiores, tortuoſis Mœandrorum laqueis implicati nugivenduli Neoterici, quibus tenella lancinantur Tyronum ingenia, diſſerendo, Num Logica ſit ars? An Scientia? quam eorum dialecticam lepidè definiiſſet *Al. Quhytano* Noſtras, quod ſit *Comptula chymæra tripudians in vacuo*, ſi addidiſſet *Pithaulete Ariſtotele, Luciferiſq; Maſio, Ruvio*, & aliis magni nominis *F. B. Sp. Lalem:* illorum quidem pincernis. At Logicam germanam, ſuffragante *Minervâ*, genuino *Computationis* titulo indigitat *Hobbe*; verum hoc dialecticæ genus quia non tritum, craſſiori forte impugnantis,

evanidæ

evanidæ gloriæ nimium famelici genio, maxime ſordet; ſed vera non trita belle computat computator hic Nobilis. Sic ſuſurrat iſte, Arithmetica eſt Computatio, Ergo non Logica; Seſquilyſſea quidem ſequela, qualis eſt hæc, Homo eſt animal, Ergo brutum non eſt animal, quaſi vero genus non latius pateret ſua ſpecie; ſed facile eſt mortuum vellicare leonem.

III.

STupendo molimine & vexatiſſima energia hujus Computationis fundamentum Logicæ ſcilicet objectum, nebulis ex ſtagnantis cerebelli vaporibus conglomeratis, conſpurcant fumivenduli Dialectici, altercando de pervaga Logicæ peripheria, num ſpeculetur entia realia & rationis? At recomputandum eſt *Hob.* Scientiam *intrinſicè evidentem* unicè de corpore ſapere (fremat ad vomitum uſque Peripneumonicus iſte *Hobbeſiani* candoris neſcius.) Objecti itaque materialis remoti hujus Computationis officio funguntur ſubtiliſſima illa effluvia corporea Magnetis Microcoſmici per organula ſua, à natura ad hoc munus deſtinata, vi Magnetiſmi profluentia, in hamulatas objectorum chordulas; inque horum ramentis anguloſis recepta, euripi modo ad centrum ſuum redeuntia, globulos objectorum æthereos ſecum rapiunt, quique Magnetis organulorum fibrillas, & capillamenta, tangentes; in vitali illa facultate perceptiva objectorum ſimulachra ut Atomiſtæ, *Gaſſend.* ſcil. &c. perceptionemve quamlibet aliam cum *Cart.* perniciter producunt: num autem hi globuli percipi poſſint oculo exteriori ope perſpicilli Microſcopici D. *Heighmor*, an ſolo interiori judicii oculo, pro ſuo guſtu determinet opponens. Si hoc non allubeſcat objectum, corpuſcula per objectorum externorum vel internorum canales maximâ pernicitate promanantia, poruliſque Organorum magnetis agglutinata, ipſi tamen Magneti omnino extrinſica; in ejus meatulis aliquantillum ſiſtentia, ſed vorticali motu ad centrum ſuum circumgyrentia, propriique contactûs productiva, tanquam Logicæ objectum remotum ſtatuimus; quam circumgyrationem effluviorum extrinſicorum ſorteorum Magneti, tum objectis, concinnè admodum enucleavit *Hen. Puer*, in Philoſophia ejus Magnetica, p. 158, & 159. Si hæc non arrideant, objecti vicem ſuſtineat nec ſolius Magnetis vis attractiva nec ſolius objecti vis converſiva, ſed utriuſque *συνεργική*, quæ (teſte *Kirchero* de *Magnete*) non eſt aliquid ſuper ipſam rei naturam, ſed mera aſtrea & radicalis partium homogenearum entitas, apta ex unius parte ad emanandum, ex parte alterius ad emanati-

ones iſtas inter ſe concatinandas. Objectum hujus Computationis proximum ſunt diſtincti profluendi modi variæque reſilientiæ ſeu reactiones perceptivæ; Formale eſt, Principii vitalis perceptivi dirigibilitas, ad conglutinanda inter ſe, aut divellenda hæc effluvia & corpuſcula ſecundum præſcriptum recti judicii: eſt Itaque Logicæ facilitas, (vel ut aiunt) Habitus, *Nihil aliud quam repurgatio & Dilatatio organulorum Magnetis microcoſmici, per reiteratam ingluviem ſeu ductum ſubtiliorum particularum corporum per illorum meatulos, quibus purgatis promptior & delectabilior ſit proceſſus ad motus ſimiles his, quibus ſic purgantur*; ut aliquo modo innuit *Baxterus* in app: de imm: ani: 511. Hinc manifeſtum eſt non quemlibet hominem eſſe aptum Logicæ ſubjectum informationis, ſed cujus magnes varia decoctione ab omni humido Superfluo vindicatur, ejuſque organula repurgantur, ut loquitur *Kircherus de Magnete contra Philoſophia Moſaica Autherem.*

## IV.

FUtiliter garriendo Logicaſtri Tirreſiâ cæciores, prolixo valde Diaſtemate à ſe mutuo recedunt, de cardine in quo vertitur numerus modorum Sciendi logicalium. Ternarium Splendidiſſimis Sumptibus condecorant Peripatetici, ut hoc Dogma his quaſi teſſera ſit, qua hujus Sectæ Satellites ab aliis diſtinguerentur, quæque tria majori ignavia neſciret illorum quis, quam tria *Steſichori* poeta. Definitionem cum *Vanhel. Cart.* tanquam figmentum rem implicans potius quam explicans renuimus, et ut ait *Gaſſ.* exerc. 1 cont. *Ariſt. Dia.* quas admovebit Definitio ſcalas quibus vel pulicis naturam pernoſcendam evehat? Secundum Peripati *Coriphæi* Suffragium, Definitio conſtabit Genere & Differentia, proindeque Definientes evadere omniſcientes neceſſe eſt, cognita enim vel rei minimæ differentia inclareſcunt omnia, nam non cognoſcitur aliquid hujus eſſe differentiam, quin cognoſcatur nulli alteri ineſſe, quod ſit rerum omnium perveſtigando eſſentias; ſed omniſcientiam fortè nunc conceſſere Dii, dogmaticis hiſce, ob quietam eorum inveteratam inſcitiam. Sublato autem uno pede a tripode, neceſſe eſt ruat Logicus miſerrime titubans, tali ſedi conſiſus; idem ſit Diviſionis fatum à definitione indiſtinctæ eſſentialiter. Syllogiſmus monſtrum illud in ſublime hodie ſublatum, *Nativum eſt rixandi Jurgium veris naturæ uſibus æque inconvenienti*, quod *Hieron:* comparat *Ægypti* plagis, & demonſtrationes vocat dialecticæ cyniphes, ut & *Vanhel.* Secundum quam ejus ſedes recte ſtatuitur, non intellectus ſed imaginatio; at inconſequenter admodum

*Gaſſend.*

*Gassend.* Syllogisticum rejicit processum, & enthymematicum admittit. Congruæ. *Hobb.* p. 8. c. 25. de corp. Statuit discursum nisi motum in organis reflexum, ridicule vociferatur, *H. Mor.* aut quisquam istius Buccinator, qui doctioribus contradicendi prurigine pollet, discursum tunc cytharis & inanimatis competere, quum in his nullum sit principium vitale aut objecti perceptivum, quod necesse est ad motum reflexum Discursivum constituendum: at brutis convenire (dixerim ego nil esse absurdi) negat *Hob.* quia licet in his sit principium vitæ, eorum tamen Organa non sunt rite disposita ad talem reflexionem corpusculorum ab objectis emissorum, qualis requiritur ad discursus constitutionem.

V.

IRrito nisu Scientiam omnem diffiare nixuriebant *Cratyl. Herac.* &c. Scepsinque insœlici naturæ aborsu, antiquitus natam magicâ quâdam operâ vivis restituit *Cartesionorum* caterva, de omni dubitando & omnia pro falsis habendo, & *Cartesiani Lycei* Sordes diglutientes, non tam vetus exuunt quam novum induunt præjudicium ut *Schul.* p. 1. & *Gass.* dub. 1. cont. *Cart.* Meta. Fingit enim *Cartesius*, nescio quem malum dæmonem delusorem, perinde facit, ac is qui effodit *Coclitis* Superstitem oculum ut deinde clarius conspiciat, seu mentem non ut ex luce crepera auroræ in diurnum splendorem affert, sed ut ex dubia vesperi luce in tenebras nocturnas demergit. Scientia nostra non est mutuatitia ab intellegentia formarum datrice contra *Avicennam*, nec animæ est infusa in primo instanti productionis contra *Ficinum* & *Platonem*, quibus anima erat intelligens ante ullius corporis organici productionem. At non improbabile est animam acquisivisse scientiam suæ conditioni proportionatam ante unionem cum terrestriori hoc corpore, dum, Sciz. in æthereo, vel aereo operabatur vehiculo, ut *H. Mor.* & author lucis orientalis, & tanquam flammulam sub cineribus latitantem in Apricum, post unionem cum terrestri hoc organo, deduxisse. De quibus detur scientia in hoc statu terrestrioris Organizationis, summo frontis Sudore digladiantur Cartesiani, Epicurei, & *Aristotelei.* Illi communes quasdam notiones & ideas nobis innatas (nunc fere enecatas) ab impura phantasmatum colluvie alè elevatas obtrudunt. Epicurei vero *Pratum, Martellus* &c. tria ponunt Criteria omnemque nostram trahunt cognitionem a Sensibus ut *Gassendus* exercitatione 6. cont: *Arist:* Si à fide præscindamus ut & *Baxt:* de imm: an p: 547, merito hi Scientiam de Universalibus negantes, quum nulla propositio universalis evidens certa aut vera esse potest,

imo nec æterna sit, *Aristotelois*, anima hominis recens nati est instar tabulæ rasæ quæ post multas experientias à sensibus suam deducit cognitionem Scientificam qua cognoscit effectum per causam, quod fieri non posse rationes jam positæ evincunt. Rectius multis parasangis philosophantur qui per experimentalem philosophiam, naturæ magnalia, sive nota demonstrant sive arcana recludunt: palmam hic referunt clariss: *D Ro: Moravius* nostras, Eques auratus, infinitis nominibus à nobis colendus, & Generosiss: *Ro. Boyl. anglus*, in Cælo philosophico, *Castor*, & *Pollux* qui missis Chimæricis notionum gyris vera à falsis propria experientia discernendo, Generoso plane animi ardua quæque aspernantis impetu, Omnia illustrare conantur; Contemplatores instruunt & oblectant: at *Omne tulit punctum qui miscuit utile dulci.* Omnis ergo nostra scientia est experimentalis à sensibus ducta, quorum testimonia sunt infallibilia formaliter ut *Jos. Glan.* in Scep. scien. At quia sunt occasionaliter fallaces (eodem fasente) & fallendi ansam sæpius præbent de eorum certitudine ad judicij tribunal nonnunquam referrre cogimur, quod vero sensus percipit & judicium non redarguit pro certo est habendum. Nolumus tamen scientiam nostram efflorescere, aut per discursum à κοιναις ενοιαις *Cartesianis*, aut per *Aristotelicam* demonstrationem connexionis proprietatis Metaphysicæ cum subjecto per illius definitionem (ut aiiunt) sed ut loquitur *F. B. Verul.* Intellectus noster accersit auxilia a rebus ad perficiendam sui cogitationem.

## VI.

MIro veritatis obscurandæ æstro impelluntur Jesuitæ, in rimanda veritatis natura, Veritas non est scientiæ essentialis perfectio, in Intellectu falsitas esse nequit, contra *Schul*: p. 39. cæterosque omnes fere alios. Veritas nulla in eo est nisi perceptionis simplicis cum *Crat. Claub Dessel. Velth.* &c. In intellectu enim nullus est nutus uniens aut disjungens attributum & subjectum, omnis veritas omneque judicium, in voluntate est cont. *Schul.* p. 48. & nemo fallitur, aut falsum dicit, nisi qui voluerit, ac in cujusvis potestate est nunquam falli; falli ergo est hominis perfectio. *Neronianas* thermas refrigerarent disputatorum litigia, de puncto in quo veritas consistat; non est actus objectum connotans prout ennunciatur, nec habitudo rei ut cognitæ ad seipsam ut est in esse reali, uti voluerat *Durandus*: sed actus est verus, cum *Cart.* 1 par. pri. & *Leand. Band.* cum voluntas non fert judicium, nisi in rebus clare & distincte perceptis, & actus est falsus, cum voluntas se extendit ultra perceptionem intellectûs, cont. *Gass.* dub. in med. 4. cont. *Cart*, Omnis ergo propositio

potest

potest esse falsa; ut, *Homo est animal, ego cogito, ergo sum*: vel omnia potest esse vera; ut, Angelus est lapis, Chimæra est rationalis, & propositio eadem potest esse simul & semel vera & falsa, subjecto eodem modo se habente: & datur enunciatio, quæ si adæquate vera, est falsa simpliciter: si inadæquate falsa, est simpliciter vera. Nulla propositio, dum est, aut vera aut falsa est. Recte computat *Hobb.* nec sibi contradicit (fingat quantum voluerit Paraclytus iste, quem solidum *Hobbesii* acumen opprobriis obfuscandi insanabile tenet Cacoethes) dum asserit, Veritatem non consistere in re; & deinde datur veritas inquit in omni re; in priori loco, loquitur de veritate cognitionis & Logica, in posteriore autem, de veritate entitativa seu transcendentali; quæ est conformitas rei cum sui idea quæ est in mente supremi Artificis.

## VII.

VOces naturaliter aperiunt interiora animi penetralia; quibus contra *Campanel.* inest fascinandi, vis interficiendi, & ad morbos mechanicè propulsandos energia: sunt enim hæ Atomorum moleculæ aereæ, taliter situatæ & dispositæ ut gratæ sint vel ingratæ porulis Organulorum eorumque distinctis motibus quibus occurrunt, ut patet ex eo quod (referentibus *Walchæo, Agrippa Bap: Por:*) tempore hyberno voces in canale prolatas, & Siphone propagatas, frigore congelatas, exorto solis æstivi radio, ipsas liquefactas, & velut à captivitate solutas, echo eadem resonantes, ac inter oppositos Disputatorum anhelitus, fluitantes, conspicere licet. Adversus *Corycum* luctantur, qui negaverint mutos posse conceptus cordis manifestare, surdosque audire: & ritè *Carle.* Vix ulla est corporis pars quam muti in linguam non efforment, hinc mira rerum catastophæ, dum illi linguam in manibus, alii aures in oculis gestant; uti *Plato* loquere inquit ut te videam, cui voces sunt visibiles: An autem *Tritthemii* Steganologia, seu locutio cum Sympatheticis radiis ex animâ emissis, dissitumque amicum afficientibus, sit possibilis? An tantus insit musicis modulis Magnetismus, ut non sine ratione Prisci Orpheum musicum sylvas atque ipsa saxa dulci cantu vel lyræ sono trahentem produxerunt: ille enim & Astrologus & Musicus ita opportunè temperaret sonos, ut cœlestium syderum imitaretur harmoniam, eorumque omnium in se traherent influxum, quo fretus quæcunque vellet canendo traheret? An item vocibus tanta insit vis physica cum *Vanhel: Agrip: Trith:* ut earum ope Dæmones absque pacto exorcitari possint? Ancipiti rationis scrutinio submitto.

VIII.

VIII. 57

SPinosa notionum Secundarum Dumeta perlustranti constabit, distentissimis ac disloni buccis, universalis fabricæ rimabundos, toto cœlo vel potius tartaro eiraſſe Peripatetici Antistates; *Scotistas*, dum naturam unam in individuis tantum extrinsice multiplicatam somniunt; *Thomistas*, qui idolum quoddam Chymæricum intrinsicè unum pro natura reali confictum nobis proponunt. Nominales Jejunas reculas conceptus tantum formales identificatos reclamant; qui omnes, Logicæ orchestram crepundiis minus lepidis instruendam curarunt. Prodibunt germana universalia, designantia meram concatenationem & reactionem diversarum particularum turbinatarum, hamatarum, asperarum, penthahedricarum, *&c.* ab objectis emissarum, & in organulis Magnetis Microcosmici receptarum. Genus est reactio Organulorum Magnetis in molleculas quasdam coalitas ex atomis ab objectis diversimode emissis sese movendi vim habentibus, posita notabili diversitate dispositionis, situs, motus, *&c.* corpusculorum illorum seinvicem ita irretientium. Species fit per ejusdem generis resilientias, implexioneſque profluviorum non tam notabili diversitate motûs, figuræ, aut vigoris organula Magnetis ferientium. Distinctio prædicabilium se tenet ex parte diversi motus, situs, figuræ & vigoris corpusculorum promanantium ab objectis ac titillantium fibrillas & capillamenta invisorum organulorum Magnetis Micocrosmici. *Hobb*: subacto ingenio ait, *universale esse nominis tantum Nomen*, quod intelligit de fucato illo universali Jesuitico, quod & non gravate tulerint ipsi Nominales nonnulli qui negant res esse universales solasque voces & conceptus universalificant. Nec contradictionis reus est (quicquid prætendat non nemo jactitans se capere quod revera non capit, Buſoni similis *Æsopico*, qui cum se inflando, Camelo adæquare contenderet, medius crepuit) cum alias dixerit universalia contineri in natura singularium, tum enim loquitur de genuino & vero universali, quod significat profluvia a singularibus promanantia, distincto ingressu in animam recepta, et in ea varie dispositа ac diversimode concatenata. Ex his deducitur hoc porisma, *impossibile debere spoliari omni cognoscibilitate*, ut *David Derodo*, *Javellus* *&c.* Nihil enim est cognoscibile nisi per proprios radios ab objectis emissos quos non habent impossibilia ruat item subtilis ista & ninguida Chymærarum fabrica cum *Caramuel* quæ solo aeris hiatu benigno magis vel maligno, palatum linguamque simul pulsante, vitalem ipsis conciliant auram.

PHILO-

# Philosophemata Etheologica.

## SPICILEGIUM I.

INexplebili desiderio æstuant, ac furibundo impetu proclives deferuntur omnes *Adæ* filii ad Felicitatem, bonum illud Βοβαιον τελειοτατον καὶ αὐταρκες; consequendam: tristis vero & luridus noster lapsus, nos dispersos reddidit & pallantes per 288. (referente *Varr:*) distinctos falsitatis Sulculos: In quonam sciz. consisteret Beatitudo nostra, & quot capita tot remanebunt sententiæ; nec ex errorum Odyssea eluctabitur quis (omnes etenim una in horrenda vitiorum barathra præcipites trudimur) donec jubar aliquod à Patre luminum desuper effulserit. Sorte omnium humillima contentus fuisset *Epicurus*, si perdenso Philosophantium agmini fidendum sit, quod in vo'uptatibus corporis beatitudinem collocarit. Fuere equidem perpauci è discipulis ejus qui inter pocula & scorta Philosophantes Magistri disciplinam infamavere, virtutem in talium vo'uptatum sinu abscondentes: At *Epicurus* ipse solam vo'uptatem ex bonis animæ actibus enatantem tanquam fœlicitatem amplexus est: quam ejus doctrinam callidè elimavit *Gassend*: par. 3 c. 3. de ref. dog. Ep. cont. fid. Item *Patricius* de *Aristotele* exotico & in Pansophia ejus, sed non minus eam in pristinum splendorem restituit *H. Mor.* p. 3. art. 2. Ench. est inquit fœlicitas, voluptas, quam animus percipit ex sensu virtutis rectæque (& ad virtutis normam) factorum conscientia; μονοῦς αγαθοῦς, οὐκ εὐδαιμονας, cum eodem p. 1. art. 2. Ench. Ultro agnoscimus, aliud enim est juxta Pythagoricos κατ' φύσιν τελειον ειναι, aliud κατ τον βιον, ad beatitudinem perfectam conducit bonorum externorum mediocritas: rectius fœlicitas describitur per voluptatem, quam per ἐνεργειαν (quicquid in contrarium balbutiat Empyicus iste, qui celebriores deprimendo studet inclarescere) fœlicitas etenim censetur το μεγιστον καὶ ἀριστον ἀνθρωπινων ἀγαθων; adeoque non est alterius gratia, at operatio est voluptatis ergo, tanquam sui effectus ab ea promanantis emanatione, non physica, sed metaphysica, ne ab ea

realiter

realiter distingueretur; est itaque voluptas beatifica primus tantùm & formalis conceptus operationis reduplicativè sumptæ ut beatificantis, ejusque distinctivus ab aliis operationibus non beatificantibus, quibuscum voluptas hæc non annectitur. Statuit *H. Mor.* p. 5. Ench. fœlicitatem supremam ἐν τῷ ἀγαθῷ εἶδει τῆς ψυχῆς, in facultate animi boniformi: Φιλομαθὴς Mori-scutica erudiri laborat quid sit ἀγαθὸ εἶδος ab hoc item φιλομαθὴ erudiri laboramus & nos, quomodo Thesi Morali 7. An. Dom. 1657. libertas sit facultas distincta ab intellectu & voluntate. *Hobbesiana* fœlicitas, 11. Leviathan ab Epicurea differt solo nomine; est nimirum *Continuus desiderii progressus ab uno ad aliud*; hoc est, permanens possessio voluptatis ex omni objecto beatifico; Estque desiderium boni absentis non afflictivum, sed absque omni anxietate, ut in vulgi sententia fertur Visionem Dei beatificam, non ita satiari appetitum beati, quin sine dolore appetitat reunionem Animæ cum Corpore, & ejusmodi alia bona absentia.

II.

LUgenda est Mortalium sors qui in peccatorum Volutabro jugiter volutantes, quid tamen monstri peccatum sit, cujus præstigiis fascinati oblectemur admirabundi scisscitamur. Peccatum formaliter videtur non esse quid Physicum reale, ni Deus ei patrocinetur, sed est difformitas actuum cum eorum Regula, uti bonitas est eorundem conformitas. In Anticyranam merito injiciendi essent Navem, qui spreta prudentia, humanæ vitæ auriga, studio moderandi passiones flagrarent, quæ secundum *Cart.* nihil aliud sunt quam spiritus Animales cerebri vehementer moti, mentem & corpus afficientes, quarum diversitas dictu non scitu est difficile. Passionum omnium Origo & Princeps est Amor; qui definente *Dionysio* est *virtus unitiva*, quam unitionem concinne declaravit *Kirch.* per *Magnetismum*, amans inhiat in vultum amati, & amatum in oculos amantis scintillas suorum defigit oculorum, cumque scintillis, transmittit profluvia, quædam à magnete suo, quæ vorticaliter ad subjectum redeuntia, cumque radiis amantis copulata propter porulos proportionatos figuris particularum effluviorum, hasce secum rapiunt, & vapor iste ab amantis corde genitus, statim petit Amasiæ præcordia, & emanationes amantis in amato jam gradum sistunt. Qui naturæ legem eradicare nititur Θεομαχίαν aggreditur Ἀκυβολογίαν admodum ludunt nonnulli, portenta antiquarum opinionum procudentes, quasi hodie in gloriam non juvenescerent artes liberales. *Hobb. p.* 11. *ar.* 9. *de Cive, post felix* scruti-

nium

nium, primum naturæ jus φιλαυτιας ſtatuit, *qui ſibi enim negnam cui bonus?* Sed Catholicus *Hobb.* hoſtis arcum hiç tendit, non vero ſagitta ex ſua Pharetra, Teſtibus (inquit) remotis, jugulum paternum peteret hæres, quod *Hobb.* 13. de Cive ſic anticipat, nullum eſt (ait) temporis inſtans in quo concipiatur filius non eſſe ſub poteſtate & imperio eorum, quibus debet primum inſtans ſui eſſe, ejuſque conſervationem, ideoque ſine violatione iſtius fidei parentibus datæ, jugulum paternum petere nequit. Eſt queſtio acriter inter Scholaſticos agitata, num ſcilicet *Detur ſtatus puræ naturæ*, in quo ſcilicet Homo nec imbutus ſit habitu gratioſo nec vitioſo, quem ſenſum non improbamus, ſed magis placet *Hobbeſ. Status puræ naturæ*, quo intellegit tempus illud antequam homines contractibus aut votis ſeſe obſtrinxere, in quo ſtatu *lucrum eſt menſura boni*, & nemo poteſt alteri injuriam inferre, omnes enim ſunt æquales. In Brutis dari legem naturæ non gravatè ferunt plurimi; imo exiſtimamus nos cum *Fran. Artiſc.* Brutorum multa vivere ſecundum ſtatuta & leges poſitivas, quod apparet ex anniverſariis eorum conventibus.

III.

HOmo non eſt ζωον πολιτικον ab amore nativo mutuo, ſed ex accidente per timorem & educationem redditur aptus ad ſocietatem in eundam, ut *Hobb.* p. 93. de Cive. poteſt dari Dominium duorum inſolidum in eandem rem. Poteſt dari Bellum ex utraque parte licitum. Regimen per Bellum illegittimum acquiſitum poteſt evadere licitum. Ut leges in Monarchia vigore polleant, nullum requiritur populi ſuffragium, ejus denique conſenſus ad eaſdem evacuandas eſt ineptus. Debet Subditus Regem in bello juvare licet dubitet de ejus juſtitia. Promulgatio non eſt de eſſentia Legis, eſt tamen neceſſaria ut lex obligationem inducat. Omnis *Proſopolepſia* non eſt illicita. Ad ravim inter ſe depugnant nonnulli; quando ad poſteros tranſmittatur Nobilitas, certum eſt eam tranſmitti in genitos ex coruſcatione ſtemmatis per legittimam lineam; propugnabimus item cum *Duaren.* eam in ſpurios per ſubſequens Matrimonium legittimatos deſcendere, quod fieri poteſt in ipſo mortis articulo. Uſuræ lucratoriæ ſunt illicitæ ut *Bolsm.* qui omnem deſtrueret libertatem noſtram *ſtrobilis Carcini* fortunatior eſſet, totum enim à nobis admiret peccati reatum, ſed experientia clamat βυδοφω νομω adverſus libertatis everſores. Injuſte vitio vertitur, *Hobbeſio*, quod libertatem negaſſet, quum libertas inneſſe poteſt principio materiali; nec magis eſt voluntas coacta ad agendum per emanationes profluviorum ab objectis quam per præſcien-

tiam & prædeterminationem, deinde Canes aliaque bruta plurima (immo me iudice omnia omnino ſenſitiva) libere operantur, quorum animæ juxta univerſam Philoſophorum Phalangem materiales ſunt, quas tamen immortales eſſe earumque tranſmigrationem cum *Delbenn.* ut non improbabile, obviis ulnis amplectimur.

# Oracula Phyſiologica.

## SPICILEGIUM I.

SCaperdam trahunt Jeſuitæ amphimerini, jalemo frigidiores, qui Phyſiologiæ amœniſſima paſcua ipſo in limine deturpare moliuntur, argutiolis (ipſis æſtimatoribus) effatis, è Jovis diphthera Jamblici quaſi marte petitis: At vomicæ ſunt & carcinomata quibus laborantes, de veritatis nido amphimaſchulis hi fugati, tellenas conduplicando tricas, inglorii iſti terræ filii, ſuccum in nutritionem animæ deſtinatum, in pus, tabum, & ſaniem convertunt: quæ torva cum ipſis in atriis ac palatiorum ſuorum pergulis occurrant, nobis ſuadent, totum contentum eorum phyſicæ ambitu ſterilibus ejuſmodi ſcatere camænis alia; proinde amplexuri nos principia Archiſtrategus noſter erit *Tho. Willis*, naturæ lingua, Muſarum Adonis naturalis Philoſophiæ Profeſſor in Acad. *Oxon.* apud quem pro rerum naturalium principiis quæ oculari inveniuntur ſolertia, συγχύσεως à Spagyria introducta locum habet. Rejecta illâ celebri Peripateticorum quadriga, quæ ſolis τεθρίππου æmula per fictitium materiæ iſtius primæ adulterinæ, adiaphoræ, inceſtuoſæ, cœlum, citato paſſu rapitur, & vaſtum illud inanè perpetua reciprocatione metitur; quaſi ex diverſa illorum Metatheſi & duello orirentur rerum viciſſitudines. Pari & fato pereat Peripati trias, *materia* ſciz. prima, *Hob.* p. 1. de Corp: recte merum nomen appellans) *forma*, pernicioſas nænias in Scholarum nundinis hactenus proſtituens, & *privatio* ipſis fatentibus non ens, ideoque nec generationis realis principium. Reſolvuntur ergo corpora Phyſica (proinde optimo jure & his conſtant) tanquam in principia haud entia omnino incompoſita, ſed quaſi in partes ultimo

ultimo à quovis ſi non luſcioſo vel hebete prorſus ſenſiles, in ſpiritus *ſcil.* ſulphuris, ſalis, aquæ & terræ particulas, à quorum in mixtis motu & proportione derivantur rerum ortus & interitus. *Carteſiana* principia hujus mundi aſpectabilis ſunt tria elementa, Gallica pernicitate tripudiantia, quorum primum eſt illius materiæ quæ tantam vim habet agitationis, ut aliis occurrendo corporibus, in minutias indefinitæ parvitatis dividatur, & figuras ſinas ad omnes angulorum ab iis relictorum anguſtias implendas accommodet. *Alterum* eſt ejus quæ diviſa eſt in particulas Sphæricas valde quidem minutas, ſed determinatæ quantitatis; ut *Cart. Maroll. Lipſ: &c. Tertium* conſtat partibus magis craſſis, figuras ad motum minus habentibus. Alia item ſunt principia apud *Clariſs: Verul.* Natura, inquit, primordialis & penitiſſimus naturæ Schematiſmus eſt materia quædam generalis totius mundi, una & eadem cujus eſſentia conſiſtit in extenſione impenetrabili & diviſibili, cujus diviſibilitas non provenit ex interſperſis vacuitatibus, cont. *Jes. Moncon: &c.* At unde oriatur difficile eſt aſſerere, ſi non ex diſtinctione partium, cont. *Lere.* Quæ materia tanquam principio altero hujus diſtinctivo diſcriminatur diverſis motibus, ſitu diſtincto, & variâ partium ſignificatione. Sunt & principia atmoidea *Democ. Ep.* hodie rediviva, *Gaſſ. Merſen, Baſſ. Magnen.* qui effecta quævis naturæ ab Atomorum diverſimode figuratorum confluxu & συζυγιαις pendere ſtatuunt, harumque συνκρισει generationem διακρισει corruptionem peragi. qui optime quidem docent qualis figuræ iſtæ ſint elementa. Quæ principia, tum *Carteſiana*, tum *Epicurea* rationis ſurculo facile ex abdito naturæ eruncemus: nam hæc, (teſte ipſo *Wil. deferm*) & chimica inter ſe ſubordinantur, proindeque à nobis amplectenda, ſi ſapere velimus ultra quam ſenſus Lyncei operam præſtitere rationi.

x aptas

## II.

ARida formarum particularium ſubſtantialium ac qualitatum ſenſibilium & occultarum diluria è Scholis exſibilanda eſſe, Carteſii Machinæ (Philophaſtris quidem crudeles) cum Philoſophia experimentali (magno illo rei literariæ incremento) indubitatum reddidere. Harum enim nullum eſt in rebus veſtigium quum diverſitas corporum naturalium ſufficienter emergat (ut ſupra cum *Verulam*) à varietate motuum, ſitus magnitudinis partium, &c. Motus localis præter quem alium non admittimus, ut, *Cart Lipſtr*, &c. *eſt tranſlatio unius partis materiæ ex vicinia eorum corporum quæ illam immediate contingunt, & tanquam quieſſen-*

*tia spectantur in vicinium aliorum.* Ad motum non requiritur plus actionis, quam ad quietem, ut *Cart.* p. 26. part. 2. & tam quies (uam *Galileus* à *Gal.* definit gradum tarditatis infinitæ) quam motus est modus materiæ positivus. Temerè non nemo affingit *Cartesio*, quod negasset accidentia quæ sint modi, cum disertis verbis asserit accidens esse modum, & non propriè rem, quia est entis ens: non ergo recusavit simpliciter accidentia, sed ista tantùm quæ consisterent in commentitia inhærentia Jesuitica. Omnis rerum contrarietas resolvenda est in motum & quietem. Corpora sunt fluida, quorum particulæ motibus agitantur diversis, cont. *Schul.* p. 96. Illa verò dura quarum partes juxta se mutuo quiescunt. Omnis motus est rectus; at in omni si non sit vacuum, fit circulus necessario à quo ea omnia profluunt, quæ dicuntur contingere metu vacui. Omnium motuum à Recentioribus nonnullis æstimatur notatu dignissimus motus qui fermentationis audit, quem *Antesignanus* Noster *Will.* Ætatis hujus *Æsculapius de fermentis* describit, *quod sit motus intestinus & inorganicus particularum cujusvis corporis cum tendentia ad perfectionem ejusdem.* Dependet à lucta gemelli fœtus in eodem utero; in quovis enim corpore sunt substantiæ summe agiles, semperque volare nitentes; sunt & magis fixæ, quæ subtiles irretiunt, implexuque suo inter avolandum detinent, fermentum statuit *Vanhel.* initium seminale in materia, massam ejus, semine impregnans. Atque in isto semine *Archei* productivum, à quo distinguitur quod ipsum sit res constans: *Archeus* verò sit res quæ exoletâ suæ tragediæ scenâ definit in individualem epilogum, quique licet de se successive prolificet, id non nisi virtute hausti fermenti evenit, cui *scil.* dos propagandi semina in fœcula durabilis tributa. *Archeus* latius acceptus est primum rerum principium activum, & quicquid *Arist.* formæ tribuit, in fœcem rerum ei competit; item est causa (non vero Deus) immediata, motus in ipsa materia, & quodvis principium *Cartesianum* ut motus, situs, illum primordialiter supponit. In generationibus est efficiens internum de prosapia essentiarum, illarum *Vulcanus* Faber & Rector, generati imaginem habens, seipsum vestit semine visibili tanquam siliqua, cujus latebras omnes perambulat, materiam transformat juxta imaginis suæ entelechiam; hic cor, illic cerebrum locat, ex universali ejus monarchia particulares membrorum nucleos ipse præses nunquam fœtans determinat. In sexu fœmineo supplet vicariatum primi mobilis (si detur) uterus enim ascendentali imaginationis regimine turgidus thymosin patitur, particulares viscerum Archeos in obsequium rapiendo. Paterna licet tota intentione generationi incumbat, respectu filii geniti est nisi causa remota occasionalis à quâ effectus dependet per accidens; ut in vegetabilibus herbæ

sunt

sunt seminum productrices, at non nisi causæ occasionales herbarum è semine illo nascentium. Spectato itaque patratu filius non dicit relationem ad patrem, sed ad semen quod continet Archeum, causam scil. cosmocraticem & efficientis intrinsici immediati quidditatem. Potest generans esse pars generati, cont. *Aristotel.* Potest pater distans imo non existens generare, actuque hodie generat *Adamus* æque ac alii. παραγενετικια est naturaliter possibilis. Sublato fœmineo sexu, ut constat in iis quæ sola matre putredine generantur, (& si paradoxa cupis, benevole Lector) sublato utroque Sexu ineluctabili fato non esset humano generi pereundum. Dari potest *Tyresiana* Sexuum permutatio: attamen ne inferas me in hoc *Aristoteli* assentire, quem inter alia ejus nefaria absurda non puduit fœminam depingere *marem occasionatum* ac imperfectionem naturæ aberrantis à scopo; quæ sæpius admodum aberrasset. Hermophroditæ non dantur. Apparet *Vanhel.* duobus principiis velle continere totam rerum compagionem, quorum primum efficiens internum & activum est genericum, respectu trium priorum chymicorum, formæ *Aristotelicæ*, motusque *Cartesiani*. Secundum est passivum materia scil. communis, non activa; quam appellat aquam vel terram quæ cum aliorum fere omnium materia coincidit, ut *Vanberlicom.* p. 111: theor. 62.

## III.

PRævaricantur Jesuitæ vaferrimi ut carioſam qualitatum tam occultarum quam sensibilium idololatriam, aquis è lacunis, non à purioribus fontibus derivatis irrigare possint, dato iriquiunt quod concessa sint sensibilia principia chymica, materia & motus, fermentum, & Archeus; deest tamen adhuc aliquod principium directivum omnium particularium materiæ motuum; Sed è scatebra ista supposititia guttulam non habebunt, hac enim vice principii directivi vicem sustinebit anima mundi cum *H. Mor. Joan. Rethman Schebler, Finck*, Substantia nimirum spirituosa, ætherea, vivifica, universo in ejus creatione insita, mundi harmoniam ordinans, effectum producens, ubicunque is particularis suæ causæ virtutem superat; nec ad Deum tanquam causam αφιλοσοφως (licet Theologice satis) recurrendum est. Sed omnium optime *Lodo. Cambaich.* in libello cui titulus est, *Sal, lumen, spiritus mundi Philosophici*, exaravit mundi compositionem ex universa materia & communi quadam forma, seu anima, cujus centrale domicilium sit *Sol*, cum Pythagora, vel alius ejusmodi locus à quo suas diffundit vires, quas *Zoroaster* divinas illices, *Synesius* Symbolicas illecebras nominabant, per communem hujus animæ sensum & antipathiam (sed antipathis & Sympathia (Antiperistasis eas eadem sit sors) nobiscum sunt mera nomina) explicat *Kirch.* effusionem

sanguinis

ſanguinis occiſi appropinquante occiſore. In homicidio ut plurimum ſunt pathemata prorſus enormia iræ nempe, vindictæ, &c. generatur que certum quoddam ex effuſa bile venenum; vacillans inter cadaver ſpiritibus animalibus adhuc turgens, & occiſorem ira efferveſcentem: Hicque vapor choleticus nunc virulentus ab occiſore in occiſi ſanguinem, intimaſque in fibras in certamine tranſmittitur; qui non commode in alieno exiſtens ſubjecto, fractis clauſtris adveniente occiſore proprium occiſoris ſanguinem naturali inclinatione appetit, atque occiſoris etiam ſanguinem ſua ad ſe trahit, quomodo Serpens vulneri ex ipſius morſu applicatus, venenum ſuum attrahit; & communicatione ſic facta in anima mundi, luctâque ſpirituum contrariorum ortâ, ſanguis (illorum vehiculum) efferveſcens, ad præſentiam occiſoris violenter foras erumpit. Cernitur item anima mundi in Polychordis ad uniſonum tenſis licet diſtantibus, pulſata enim in uno chorda, æqualiter tenſam & nullam aliam tremulo murmure reſonantem habet. Sic hujus ope corvi cadavera, apes flores, canes feras, è longinquo odoratu perſentiſcunt. In Heliotropiis & Selenotropiis in pulvere Sympathetico, ſeu unguento armario, rei vulneris ſanie aut ſanguine tinctæ, applicato, & in aliis ſimilibus perſpecta eſt ſpiritus mundi efficacia.

## IV.

NUgarum licitatores ſeſe venditent *Neoterici*, Nullum non movendo lapidem (ſed fruſtra) in naturæ natura rimanda quæ definiente, *Vanhel.* eſt *Juſſum Dei quo res eſt id quod eſt, & agit quod agere juſſa eſt*; Nec minus lepidè *Hobb.* 1. levia. cui natura eſt ars, qua Deus mundum produxit ac gubernat, neque opus eſt hic ullo *Oedipo* interprete, reclamet quanto poſſit cothurno philonimus *Hobbeſii-taurea* Senſus etenim non eſt Deum formaſſe mundum ex neceſſitate naturæ, ſed quod liberè, exactè, concinnè & ſecundum regulas artis exquiſitiſſimæ artificioſam mundi machinam produxit & gubernat. Et *Thom.* & *Plato*, ἡ φυσις τεχνη Θεου Ars item humana imitatur Deum, & 26. elem. non datur in homine conceptus infiniti, ſed nil hic abſurdi; negat enimvero in homine rei infinitæ conceptum, non imperfectum & negativum, ſed tantum poſitivum, perfectum & diſtinctum; at poterit homo imitari exemplar cognitum tantum negativè & imperfectè, præſertim quum inter operantem & exemplar non requiritur proportio Arithmetica, ſed tantum Geometrica, vel non Phyſica, ſed Metaphyſica, qualem ponunt illi qui volunt Deum ens infinitum ullo modo cognoſci aut amari ab ente finito. Naturam abhorrere vacuum *Ariſtotelicum* locum, *ſcil.* ſine omni aere, antiquum fuit Antiquorum delirium nunc exoletum, aerem enim omnem poſſe extrahi variis elucefcentiis demonſtrarunt Mechanicæ Philoſophiæ proceres,

proceres, ut: *Torricel. Merſen. Balian. Gaſ. Charl. Baſſo. Schul. Carp.* Sed nobis hic *Hermionis* vice erit, *Rob. Boyl* Philoſophici cœli *Atlas*, ſub cujus inſignibus militantes, vacuum naturaliter poſſibile contra *Peripateticos* amplectimur, non tamen ſimpliciter ſic dictum locum, *ſcil.* Sine omni omni omnino corpore, nam ſemper vel lumen, vel corpuſcula illa primi elementi *Carteſiani*, ingrediuntur tubum iſtum vitreum ut *Clauber.* Quid ſit locus hactenus è locis ſuis, torſit Scholaſticos *Vanberlicom* def. 4. eum definit non ſuperficiem, ſed naturale activum, in cæteris activis activitate propria mobile ad ſe petendum excitans. *Jaſſ. Charl. Fabr. Peir.* Ubicationem noſtram petunt ab immenſitate Dei, ſtatuentes locum noſtrum eſſe partem ſpatii illius imaginarii in immenſum diffuſi, contentam intra & menſuratam per univerſi Sphæram & durationem rerum omnium unam & eandem eſſe, ſed rerum creatarum menſuratam eſſe motu primi mobilis. Eodem redit ſententia, *Hob.* cui tempus, locus, & ſpatium ſunt Phantaſmata, id eſt tempus eſt umbra durationis divinæ, ſed infinitè deficiens à Prototypo; ſeu eſt pars æternitatis concepta ut menſurata motu primi mobilis, & locus & ſpatium, ſunt corpora concepta & imaginata, ut determinata & circumſcripta per determinatas partes ſpatii imaginarii vel loci realis, ut *Cart.* art. 55. part 1. princip. ait, durationem & ubicationem eſſe diſtinctos tantum modos, rem aliquam concipiendi. Quam Phantaſtica eſt iſta conſequentia, quam ridicule & pueriliter infert, qui ad Græcas Calendas videbitur nobis non de Plebe Deus: Ergo inquit corpus coextendi ſpatio, eſt quod extendatur cum Phantaſmate, quaſi vero Phantaſma non ſumeretur objectivè pro corpore per Phantaſma ſeu imaginationem repreſentato; quomodo Rhetoricantur omnes apud quos ubicatio non diſtinguitur à loco & re locata, ſed rem locari in hoc loco, ſit eam concipi in ordine ad hunc locum: at inſcitiam ulterius prodere non erubeſcit *Seiomachus* hic; Eſt, inquit, quod explicet *Hob.* quomodo nihil abſurdi ſi mundus eſſet infinitus, & motus cum eo coæternus, 26. elem. & ibidem ſit corporeus, ſicque quantus, & quantitas ſit dimenſio determinata vel finita, cap. 12. Aſſerit item infinitum non poſſe concipi, & habet in terminis p. 190. Lev. dicere mundum eſſe æternum, eſt dicere Deum non eſſe. At citius aquam è pumice, quam ex *Hob.* contradictionem hic erues, O *Philonice*; nam non ad idem aut eodem modo ſunt hæc intelligenda: dum enim ait, quantitatem eſſe dimenſionem finitam, loquitur de quantitate qualibet actu exiſtente, & hactenus extra ſuas cauſas producta; non vero de poſſibili, & diverſa admodum prædicata rebus convenire, ut ſunt in ſtatu poſſibilitatis, & ut in ſtatu actualitatis, nos docet noſtra Philoſophia. Vult item infinitum non poſſe concipi, id eſt, perfectè; ſed ex imperfecta

ejus cognitione (ni fallor) satis nobis elucescere potest possibilitas actualis ejus existentiæ. Deinde dicere mundum esse æternum vel infinitum actu, *scil.* non autem in potentia est dicere Deum non esse? Vel sic dicere mundum esse æternum, æternitate independente & indefectibili, est dicere Deum non esse, non item æternum esse æternitate defectibili & dependentiam in suo sinu fovente. An quid ergo hîc absurdi, O *Hobbesiomastix* Μεγαλα sane ρηματα, at ολιγα φρονηματα.

V.

MYsteria adhunc proferunt *Eleusinia* multis non reseranda, qui effectus mirandos, quos in mundo inferiori præter perennes generationum & corruptionum gyros, cœlestia corpora perenni vertigine circumacta procreant, ad occultas qualitates asylum inscitiæ referunt. Eadem est materia cœlestis & terrestris, cum *Cart.* cont. *Schul.* Cœlique substantialia effluvia in meatulos inferiorum corporum immittuntur quotidie: Cœli dum moventur, omnia in ipsis corpora contenta secum deferunt, *ut Planetas*, & ad modum cujusdam vorticis secum rapiunt; inter quos est terra, quæ una cum materia cœlesti transfertur, cujus motus Sol est immobile centrum. Nec adversatur hoc Scripturæ, quum hæc rerum essentias non describit juxta earum naturas, sed apparentiam in sensu nostro. Planetæ per se non sunt errantes, sed ita nobis apparent propter ipsius terræ motum. Stellarum maculæ sunt spuma quædam proveniens à particulis striatis valde agitatis & quasi ebullientibus, ut *Cart.* art. 48. par. 3. sicuti videmus aquam igni admotam, densam emittere spumam. Planetæ omnes lucem à Sole mutuant, in quantum radios ab eo mutuatos versus oculos nostros reflectunt: idem fit in terra conflata ex opacis corporibus Solis radios excipientibus, illosque non minus valide in Lunam, quam hæc in Terram reflectentibus, eademque facie Incolis Orbis Lunaris apparet Terra; qua Luna nobis, quam non solam, sed & Venerem aliosque Planetas inhabitari probabile ducimus. Quales sunt in Mundo Lunari Habitatores, num animæ scil. humanæ vehiculis aëreis vestitæ? An genii nobis inservire destinati? An vero animalcula quædam ejusdem nobiscum formæ? Quia nullum adhuc allocuti sumus ab his nuntium, determinare non præsumimus: ejus Mappimonda densa offert oppida, montesque ope Telescopii à nobis perceptibiles; An ibidem reperiuntur doctrinarum palestræ, quarum è pulvere magni prodiere Pancrasiastæ, est adhuc incertum. Commercium inter Lunares & Nos instituere, hic labor hoc opus erit; facilius nos iter faciemus navigando per aërem. In

purissimo

puriſſimo enim aere dari poteſt commode navale commercium, ut *Mendoza*, & ex communi ſenſu ponderoſa hæc terra natat in liquido aere; imo in media aeris regione. Sed facilior eſt navigatio ſi aer convertatur in aquas, quod fieri poteſt ſecundum *Maignan.* cont. *Vanbel.* applicando activa paſſivis, imo dabitur & tunc iter pedeſtre facillimum ad lunam, congelatis nimirum iſtis aquis ſive ſponte ſua ſive artis ope. imò ex aere fieri poſſe fontes perennes volunt nonnulli, ſicut ex terra aquæ extrahuntur, & aer eſt terra tantum ſubtilior cum *Cart. Clauber.* congeries *ſcil.* Particularum terreſtrium tam tenuium & à ſe mutuo disjunctarum ut quibuſlibet motibus globulorum cœleſtium obſequantur: inſuper neceſſe eſt gravitet & ponderet, ut *Cart. Valerius* de aere ponderando per diabetem c. 6. p. 109. Item *Bali.* Sed omnium acuratius, *Rob. Boyl. naturæ peritiſſimus.* Pondus juxta *Vanberlicom* eſt gravitatis niſus vel impulſus, gravitas conſiſtit in propulſione corporum terreſtrium a globulis cœleſtibus emiſſis & vorticaliter redeuntibus ac infra ſe deprementibus particulas corporum terreſtrium. Levitas conſiſtit in receſſione à centro ſui motus & corporum quæ illum impediunt potentiori deflexione. Hinc ſequitur juxta *Cart.* omnes terræ partes ſi Solæ ſpectentur eſſe leves, poſito nimirum quod omnia ſpatia circa terram nihil continerent quod motum aliorum aut impediret aut adjuvaret, & terra circa axin ſuam, volveretur, omnes particulæ hinc inde verſus cœlum diſſilirent, uti dum turbo gyrat ſi arena ſupra ipſum conjiciatur ſtatim ab eo recedit. In rarefactionis & condenſationis naturis explicandis inviæ reperiuntur voragines, nos quod Theſeio ducamur filo, rejectis vacuitatulis rarefactionem cum *Cart. cont. Schul.* p. 42. ſtatuimus niſi diſjunctionem partium ortam à motu concitatiori, ingreſſumque novæ ſubſtantiæ cœleſtis in ſpatia ab ipſis relicta. Condenſationem vero earundem particularum conjunctionem intimiorem ortam à motus diminutione; vel dicimus cum aliis condenſationem eſſe veram generationem novæ ſubſtantiæ per motum concitatiorem & condenſationem eſſe corruptionem ob defectum talis motus.

## VI.

ORaculum fuit merito olim valvis templi *Delphici* præfixum, γνῶθι σεαυτον, nullibi enim ſolennius delirabant veteres, quam in animæ natura inveſtiganda: alii volunt eam eſſe totam in toto, & totam in qualibet parte, at ſi ſic cur non & ubique non video, adeoque & divinæ ſit naturæ. *H. Moro* eſt ſubſtantia immaterialis partes habens Heterogeneas, ſed

indiſcerpibiles; at hoc eruditi laboramus, quum quantitas adeoq; materia conſiſtat formaliter, & quoad conceptum differentialem, in extentione partium; reliquum deſcriptionis non incongruum judicamus, ſed in creatis abuſivum & catachreſticum ducimus ſpiritus titulum; utcunque animam eſſe immortalem de fide eſt, ut *Baxt.* de Im. an. quod ſufficit ad fidem noſtram de beatitudine conſequenda, confirmandam. Sacræ item literæ, c. 8. v. 1. *Gen.* & *Pro.* 17. 22. materiam ſubtiliorem & inſenſibilem appellant Spiritum: incorporeæ ergo in homine ſubſtantiæ, clariſſimi charactares non ſunt operationes, quibus ſenſationes redarguit, Phantaſmata corrigit, ſupra ſeipſum reflectit, hæ etenim canibus aliiſq; brutis competunt, in quibus ſpiritum ſtatuere, non videtur minus abſurdum, quam homini in rigore illum denegare. centrale animæ domicilium nec eſt cerebrum, nec cor, nec *Cart.* glandula pinealis, ſed cum *Vanbel* in orificio ſtomachi tanquam in Palæſtra reſidet, ita ut reliquæ ejus partes ſint per totum corpus diffuſæ adinſtar radiorum Solis per totum orbem ab ejus centro emiſſorum. à vi Plaſtica partium animæ fiunt naturalis reſpiratio Syſtole & Diaſtole cordis cum *Moro*, quæ ſunt cauſa circulationis ſanguinis, motus *ſcil.* quo tota ejus moles ex arteriis in vænas, & ex vænis per cor in arterias viciſſim tranſeundo circulum conficit. Sanguificationis fons non eſt hepar ſed cor, præcipuum concoctionis inſtrumentum non eſt calor nativus (nec enim hunc nec humidum radicale admittimus) Sed acer quidam Succus cum certo quodam motu alimentum corrodens, qui à corde per certas arterias procitur in ventriculum, non vero ex liene in eundem per vaſa brevia regurgitante, ut communis fert ſententia. *Pekquetus* cum *Bornio Philogaſſendio*, animalis ſectionem inſtituens, rara fœlicitate pepercit receptaculo illi lumbis impoſito, cujus ope ductum chyliferum dorſo adrepentem detexit. (quo viſo fertur *Wallenm* non amplius dubitaſſe quin circulatio ſanguinis fieret juxta *Hervæi* demonſtrationes) & vænas lacteas aſellianas chylum exutgere, chylumq; guttatim in vænas ſubclavias decidere, ſanguinem maſſæ permiſcendum. Labellis arctiſſime compactis exoſculamur venuſtatem curationis Mechanicæ morborum plurium, Solers enim experientia pro certo comperit fœlicem fieri procurationem, vomitivum ſumendo væna aperta in alterutro brachiorum, in eam nempe immiſſo quodam pulvere vèl liquore chymico pro diverſa morbi natura. ut & transfundendo ſanguinem de viriſcente animali in aliud langueſcens quod proinde priſtinum recuperat vigorem. Num autem tranſmutatione hac ſanguinis mutetur temperamentum

peramentum de melancholico *scil.* in sanguineum, vel contra? decidat opponens.

VII.

DE Oleastro non certant qui dimicant pro sensuum numero modisque quibus hi fiant, Mandrabuli enim ad morem factus est indies horum processus. Omnes sensuum actus cum *Cart.* con. *Schul.* Sunt mentis cognitiones per quas percipit objectorum externorum meras figuras, magnitudines, realemque corporum motum ut recte *Vanber.* qui statuit actus sentiendi item & intelligendi contactibus corporeis expediri; pro motuum figurarumque &c. varietate & nervorum sensoriorum diversitate qui motus illos in mentem deferunt, variantur sensationes. Quas optime definit *Vanber.* p. 661, 67, & 68. An in sentiendo referuntur objectorum simulachra, ut Atomistæ? An unicus sit tantum sensus externus, an sex cum *Scaleger.* 236. An licet addere septimum stomachi *scil.* sensum in æquilibrio relinquimus. Lux, odor, Sapor, sonus qualitates non sunt, sed corpuscula tactù perceptibilia, campana non sonat sed nervorum capillamenta, Pomum odoratum non est, nec mel dulce, vel si volueris cum *Heracl.* est & dulce & amarum, ignis non est calidus, aqua non est frigida, nix non albet, Corvus non est niger, cæcus de coloribus optime judicabit, ut tradit clariss. *Robertus Boyl.* de Batavo quodam à secundo infantiæ anno plane cæco, tincturæ varietatem solo tactu per asperitatem vel planitiem, densitatem & rarietatem &c. discernente, color cum eodem tractatu de color: aliisq; recentioribus est lux tantum modificata & rebus nox abstulit atra colores: nulla itaq; noctu est perfecta pulchritudo (quæ est divini vultus splendor in rebus creatis amantes stupescere compellens) sed remanet quidem justa torosi corporis proportio licet desunt coloris suavitas & cutis nitida. Lux *Digbao* est corpus, sed Eques clarissimus vix paravit locum quo collocetur novus hic hospes, an foras standum? O misera sors! Datur & umbris locus, ipsa lux excluditur: griphum hunc exuit *Cartesius*, explicando Phœnomena lucis per corporum pressionem, ille enim motus solius legibus, id omne quod cæcutiens Antiquitas tentarat incassum, expedivit penitus: Orienti scilicet Phœbo protinus jubar exilit, resilitque dicto celerius, dum pronus almæ Thetidos in sinum ruit, & tot ignium volumina è planetæ unius visceribus per motum effunduntur ac in Parentis uterum revertuntur & denuo relambuntur. Calor *est motus* ut *Verul. expansivus sursum alternativus, perpetuo trepidans non segnis sed incitatus.* Frigus est motus huic contrarius.

# Theoremata Orthodoxa.

## SPICILEGIUM I.

MAtæologi Metaphysici ex Æolio carcere luctantes, Jesuiticos flatus, immittere ausi, pro Metaphysica germana, (quam scientiæ architectonicæ insignibus decorat dorica sapientum harmonia) aranearum telas, ex vertiginosis cerebri sui notionibus contextas, exhibuere; & nemo futiliter magis quam *Cart.* cujus primum cognitum (cui etiam accessit *Hierboord* disp. 28.) *est ego cogito ergo sum*; nam dum hoc ait, vel seipsum vel aliquid aliud cogitat, sed omnia reputavit falsa ergo & ista cogitatio est falsa, adeoque omnes consequentiæ ex hoc falso cognito deductæ, erunt falsæ. Deinde non est primum cum supponat, *idem simul esse & non esse*; quod ut plurimum est verum, sæpe tamen falsum quodcunque est, hoc ipso quod est, non est; & quod non est, hoc ipso est. Hallucinatur vero quicunq; contendit *Cart.* sibi contradicere, dum ait, *Ego cogito ergo sum*, esse primum cognitum ---- at rem nullam prius existere mihi certum est, quam Dei existentia demonstrata fuerit, nam sensus ejus est, prius illud cognitum esse simpliciter primum, & omnium omnino certissimum, posterius autem esse primum omnium quæ extra me sunt, & quorum ideæ cum propria existentia non identificantur. Primum intellectus humani cognitum determinatum, nullum esse putavit *Zimara*: Ego primum cognitum arbitrarium esse, & à libera cognoscentis electione dependere, judico; res enim non habent ex se, rationem objecti primi vel secundi; materialis vel formalis, licet habeant objicibilitatem illis intrinsecam. Principia lumine naturæ nota sciri fatemur, per irradiationem quandam idealem à Deo creante impressam; ex ideâ tamen ista Cartesianâ minime deducitur, existentia Dei ne vel possibilis, multo minus necessaria & æterna; quum sæpius ex ipso *Cart.* possumus habere Ideas non entium, ut *Schul.* Deus est omniscius, ejusque omnis scientia est visionis, sive sit rei futuræ, sive mere possibilis. Scientia in Deo intellectum esse non concludit, uti nec libertas voluntatem, ut *Baxt. Augustum ille veritatis Hyperaspistes* nisi

niſi per ἀνθρωποπάθειαν quomodo ei in Scriptura tribuuntur paſſiones, quoad effectus *ſcil.* non quoad affectus, ut loquuntur Theologi, Dei vero naturæ Oſtreaceo & infantili noſtro ingeniolo metienda non eſt, improprium itaque eſt licet commune, Deum intelligendo & volendo vivere.

II.

Anfractuoſum naturæ divinæ pelagus, finitæ noſtræ potentiolæ navigio, abſque fulgido fidei Jubare, eſt omnino impervium, quoſdam tamen bivios, ex tam turbido oceano deducemus rivulos. *D. O. M.* Eſt immenſus, immortalis, & immaterialis, maligne nonnullus hic, ſuo more, affingit *Hobbeſio* quod ille corpus deo tribueret: quum diſertis verbis ait, ca. 8. p. 1. de corp. (quem libellum manibus *Pratans* accipiens, eſt, inquit, mole parvus, verum totus, ut opinor, medulla ſcatet) corpus locum implet, eſtq; pars univerſi, & p. 190 iſta non dicuntur de deo honorifice, Deus enim creavit mundum, adeoque non eſt ejus pars, nec locum implet, ſed eſt ubique quod corpori repugnat. Nec ſibi contradicit *Hobb.* (Juret quantum voluerit petulantior nonnullus) dum Levia. p. 34. Aſſerit omnia in univerſo corpora eſſe, & ſubſtantiam & corpus, eſſe diſtincta tantum nomina, loquitur enim de ſolis entibus creatis vultque tantum ſpiritus creatos, non univerſaliter omnem ſpiritum, implicantiam involvere: & probabile âdmodum eſt ſpiritum, eſſe incommunicabile Dei attributum, realiter idem cum ejus ubiquitate, & dictu difficile eſt, quomodo creaturæ competat, eſſe in loco definitive, nec ab eo circumſcribi: ſed ratum habetur eorum ſuffragio, qui inter Orci cancros, hærent, cum omni ſuperſtitionum choragio, Angelos eſſe ſubſtantias complete ſpirituales, qui tamen, ut *Mammer*; & *Niphus* non ſunt ſimplicis naturæ, ſed vera compoſita Phyſica, ex materia gracili & ætherea, ſed non activa tanquam corpore organico & ſubſtantia activa, (quæ catachreſtice ſpiritus dicitur) tanquam forma & anima Organici iſtius vehiculi informativa, quæ prædita eſt vi movendi, contrahendi, dilatandi & penetrandi organum. Figura horum vehiculorum eſt arbitraria; nam ut fortior imaginatio, vibices tenello corpori imprimat, ita Angeli quam libet figuram, pro eorum beneplacito, ope virtutis plaſticæ, animæ mundi ut *H. Mor.* p. 397. de im. an. Vehiculis ſuis imprimunt. Aſſerit *Baxt.* p. 365. de im. an. non repugnare ſpiritum poſſe ſpiritum generare, adeoque licet angeli ſpiritus eſſent, tamen generarent: At vis procreativa videtur multo conſequentius illis tribui juxta noſtram ſententiam de eorum materialitate & compoſitione; ita ut cum *Arnob*: &

*Fauſt.*

*Faust.* angeli amore virginum verè capiantur. At occulatissimi naturæ amanuenses, in horum cognitione pervestiganda talpis cæciores non raro deprehenduntur; probabileque videtur eorum cognitionem eodem modo fieri quo fit humana, reactione sciz. & repercussione corpusculorum ab objectis promanantium, & organulavirtutis perceptivæ percutientium: seinvicem & nos vident; nos verò non ita illos, quia non valemus formare, talia instrumenta, quibus percipiamus, qualia possunt illi; seinvicem audiunt, & alloquuntur per signa vocalia; non improbabile est eos inter se distingui per officia in ordine ad homines, aliaq; sublunaria, quum Deus his utitur tanquam instrumentis, in suo concursu cum aliis creaturis. Certum est dare spectra, ne tamen hinc inferas spirituum existentiam quum materia ætherea ad hoc peragendum sufficiat. Plurima quæ vulgo Dæmonum habentur opera, posse ab hominibus perpetrari, quid vetat: eadem enim cognitione possunt pollere, & activa passivis applicare. Negat *Hobbes: corpus posse interire*, & quid ad *Rhombum* est, quod blaterat infrunitus Sciolus: *Hobbesius* inquit, est corpus, sed potest ille interire, ergo et corpus, quum *Hobb:* sensus sit, corpus, non posse interire, ratione intrinsici alicujus principii corruptionis, quod admittunt hodie plurimi moderni magni Nominis, at nunquam negavit corpus posse interire; per denegationem concursus Dei, & sic, (ni fallor,) interiret spiritus impugnantis.

# Vindemiola πειρασικη Flosculorum, è Peripati Floretis.

*Philopolemi, & Campigeni Jesuitæ, hibaras sectitantes nænias, me usum fuisse, operoso hoc stabilimine; ut ejus clypeo, Achillea eorum arma, lanceaq; syllogistica aciem, obtunderem, absq; ullo veritatis piaculo procinunt; his Logodædalis (queis cordi est juveniliter velitari) sub problematum nutu vacillare,* ἑκων ἀεκοντι γε θυμω, *Subsequentia propino? 1. An* αὐτὸς ἐφη *Aristotelicum, sit catholica fide amplectendum, an juramento Philosophico renuendum? 2. An Logica sit scientia, ars, neutra, an utraq;? 3. Num sit puro speculativa, pure practica,*

an

*an utrad?* 4. *Num ullus ſit intellectus actus practicus?* 5. *An objectum Logica ſint modi ſciendi formales?* 6. *Num actus ſolius voluntatis, an ſolius intellectus, an ſolius imaginationis?* 7. *An Logica docens & utens ſint unus & idem habitus?* 8. *An diſtinctio conſiſtat formaliter in poſitiva, an in negativa?* 9. *Num gradus Metaphyſici realiter, an ratione tantum diſtinguantur ab invicem?* 10. *Num dentur praciſiones objectivæ?* 11. *Num dentur Ideæ Platonicæ?* 12. *An repugnet dari univerſale?* 13. *An conceptus & voces tantum, ſint univerſales?* 14. *An voluntas tantum ſit univerſalis factiva, an imaginatio?* 15. *Num prædicabilitas ſit de eſſentia univerſalis?* 16. *An* Petrus *ſit homo tantum per intellectum?* 17. *Num unum tantum ſit prædicabile, an duo, an tria, an ſex, an* Decadonarius *numerus ſit admittendus?* 18. *An ullum detur prædicabile eſſentiale?* 19. *An ulla detur ſpecies atoma in ſubſtantiis?* 20. *An detur ens, quod nec ſit ſubſtantia nec accidens?* 21. *An detur ens, quod nec ſit creatum, nec increatum?* 22. *An ens ſit univocum, æquivocum, an analogum reſpectu inferiorum?* 23. *Num detur ens, quod nec ſit animal, nec non animal?* 24. *Num nullus ſit prædicamentorum numerus, an decas* Ariſtotelica *ſit admittenda?* 25. *Num conceptus formalis ſubſtantiæ ſit, quod primo intenditur a natura, an quod non dependeat a ſubjecto inhæſionis?* 26. *An poſſit accidens migrare de ſubjecto in ſubjectum?* 27. *Num* Petrus *ſit Pater tantum, per actus intellectus?* 28. *Num dentur relationes prædicamentales, an tranſcendentales?* 29. *An relatio indentificetur ſoli fundamento?* 30. *An ſit quid aggregatum?* 31. *Num quantitas conſiſtat formaliter in impenetrabilitate?* 33. *An nulla detur oppoſitio contradictoria ſimplex?* 34. *An hæc ſit ominum oppoſitionum minima?* 35. *An inter contradictoria detur medium?* 36. *Num aves proferant voces conceptuum ſignificativas?* 37. *Num omnis propoſitio vera ſit æterna veritatis?* 38. *An præmiſſa concurrant ad concluſionem effective?* 39. *Num concluſio deducta ex una præmiſſa naturali, & alia ſupernaturali, ſit naturalis, an ſupernaturalis?* 40. *An hic ſyllogiſmus veram concluſionem inferat, omnis ſubſtantia eſt animal, homo eſt ſubſtantia, ergo homo eſt animal?* 41. *Num detur quartus mentis aſſenſus?* 42. *Num ſcientia & opinio differant tantum gradualiter, & an opinio poſſit tranſire in ſcientiam?* 43. *An idem numero actus poſſit eſſe ſcientia, fides, opinio, & error?* 44. *An objectum arbitrii ſint actus intellectus, voluntatis, an neutrius?* 45. *Num ejus genus ſit prudentia an ſcientia?* 46. *An poſſit voluntas appetere bonum, quod nec ſit honeſtum, jucundum nec utile?* 47. *An ignoti detur cupido?* 48. *Num poſſit volun-*

*tas*

tas appetere malum? 49. An optima sit politia platonica? 50. An felicitas nostra formalis consistat in sola Dei visione? 51. An visio illa sit actus ipsius intellectus creati, lumine gloriæ illustrati; an vero increata Dei visio, intellectui creato supernaturaliter unita? 52. An felicitas consistat formaliter in solo amore, an in aggregato ex visione & amore simul? 53. An amans in amoris paroxysmo, sit Atheus & Demens? 54. Num virtutes omnes morales sedem habeant in voluntate? 55. Num continentia in quibusdam sit peccatum? 55. An qui uxorem unam de facto habet & aliam de jure sit bigamus? 57. An consuetudo in legem redacta desinat esse consuetudo? 58. Num volenti possit fieri injuria? 59. Num inculpabiliter possit quis velle aliquid contra Dei voluntatem? 60. An prima regula morum sit beneplacitum Dei, an internum judicii lumen a passionibus liberum? 61. Num detur actus humanus in individuo, indifferens? 62. Num formalis ratio peccati consistat in positivo? 63. An voluntas sequatur ultimum intellectus judicium practicum? 64. An voluntas sit potentia non cæca? Num omne voluntarium sit liberum? 65. An tria sint principia corporis naturalis, an quatuor, an quinq, &c? 66. An materia possit existere naturaliter denudata omni forma? 67 Num materia appetat æqualiter omnes formas? 68. Num materia sit generabilis & corruptibilis? 69. An sit distincta ab elementis? 70. An præter animam rationalem, dentur alia formæ substantiales, an sufficiat primarum qualitatum crasis Galenica? 71. Num causa sit principium communicans esse rei? 72. An detur de facto creatura tanta facilitate potens creare, quanta formam materialem educere? 73. Num artis ope possit produci animalia sermocinalia? 74. An motus sit mutatio successiva? 75. Num omnis motus sit naturalis? 76. Num omnis sit violentus? 77. Num & naturalis & violentus, an nec naturalis nec violentus? 78. An omnis motus sit successivus? 79. An omnis sit instantaneus? 80. An & successivus & instantaneus? 81. Num ullum detur ens per accidens? 82. An accidentale tantum sit discrimen inter opera naturæ & artis? 83. An ulla ratione constet dari motum? 84. An motus gravium sursum, & levium deorsum sit naturalis? 85. An ullum detur continuum Physicum? 86. An constet ex indivisibilibus [redacted]? 87. An sufficiat ala muscæ ad tegendos mille mundos & acicula cuspis ad eosdem supportandos? 89. An detur creatura actu infinite perfectionis? 90. An omne finitum sit infinitum, & an in qualibet parte finiti sint infinities infinita? 91. An in infinito hominum non sint plures capilli quam homines? 92. An pars sit major suo toto? An possit res esse [illegible]? 93. An possit

res

res esse & nunquam esse? 94. An mundus possit esse ab aterno tam quoad res successivas quam permanentes? 95. An lapides generent? 96. An ulla detur generatio Aristotelica? 97. An detur generatio ex putri? 98. An sol sit formaliter flamma radios corporeos emittens, & novo pabulo reficiendus? 99. an sydera sint agentia libera? 100. An Sol non luceat? 101. An Cœli rapiditate motus consensum musicum edant? 102. An rarefactio & condensatio fiant per penetrationem & expenetrationem corporum, aupertranssubstantiationem? 103. An possit idem agere in seipsum? 104. An nullus detur ignis? 105. An sit humidus? 106. Num quod libet sit grave per vires magneticas terræ? 108. Num detur sensus in magnete, & per catenulas ferrum trahat? 109 Num odores nutriunt? 110. An detur pharmacum immortalitatis, quo impediatur atrophia senilis? 111. An intellectus possit intelligere, per intellectionem ab extrinseco productam & infusam? 112. An anima sit tota in toto, & tota in qualibet parte, an ex traduce? 113. An in ente pure possibili detur potentia obedientialis ad quod libet, ut Petrus possit unico hausto oceanum ebibere? 114. An idem possit esse causa sui ipsius.

---

RAncidæ hæ Velitationes intumuere, ultra quod fert consuetudo, plurima licet non proposuerim, quæ avebat animus, morem gerens, eorum votis, quorum nutu moveor,

FINIS.